

INCIPIT EPISTOLA VEL PRAEFATIO NICENI CONCILII.

5 *Beatissimo Silvestro in urbe Roma apostolicae sedis antistite, Constantino Augusto et Licinio Caesare, consulatu Paulini et Iuliani vv. cc., ab Alexandro millesimo tricesimo sexto anno mense Iunio, XIII Kl. Iul., propter insurgentes hereses fides catholica exposita est apud Niceam Bithiniae, quam sancta et reverentissima Romana complectitur et veneratur ecclesia, quippe quam trecenti decem et octo patres mediantibus Victore atque Vincentio religiosissimis Romanae sedis presbyteris inspirante deo obstruenda Arii venena protulerunt. Nam et nonnullae regulae subnexae sunt, quas memorata suscipiens confirmavit ecclesia.*

10 *Sciendum est sane ab omnibus catholicis, quam sancta ecclesia Romana nullis synodidis decretis praelata est, sed evangelica voce domini et salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit beato Petro apostolo: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalerunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi apostoli Pauli vasis electionis, qui uno die unoque tempore gloriosa morte cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est, et ambo pariter ecclesiam sanctam Romanam Christo domino consecrarunt aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud deum omnium sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatissimus apostolus Romanis proprio cyrographo pollicetur dicens: Testis enim mihi est deus, cuius servio in spiritu meo in evangelio filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.*

25 *Prima ergo sedes est caelesti beneficio Romanae ecclesiae, quam beatissimi apostoli Petrus atque Paulus suo martyrio dedicarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo atque evangelista consecrata est, quia et ipse in Aegypto primus verbum veritatis directus a Petro praedicavit et gloriosum suscepit martyrium. Cui venerabilis successit Abilius. Tertia vero sedes apud Antiochiam idem beati Petri apostoli habetur honorabilis, quia illic, priusquam Romae veniret, habitavit et Ignatium episcopum constituit et illic primum nomen christianorum novellae gentis exortum est. Nam et Hierosolimitanus episcopus pro tanti loci reverentia ab omnibus habetur honorabilis, maxime quoniam illic primus beatissimus Iacobus, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum carnem frater domini nuncupatus est, a Petro, Iacobo et Iohanne apostolis est episcopus ordinatus.*

40 *Itaque secundum antiquorum patrum definitionem sedes prima in Hierosolimis minime dicitur, ne forte ab infidelibus aut idiotis sedes domini nostri Iesu Christi, quae in caelo est, in terra esse putaretur. Est enim sedes eius caelum, terra autem scabellum pedum eius est, quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt et sine quo factum est nihil, quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula saeculorum. Apud Ephesum vero beatissimus Iohannes apostolus et evangelista multo tempore post domini resurrectionem et ascensionem in cae-*

4 anno] added 9 subnexae] corrected from subnixae 10 Sciendum] in margin: quod ecclesia Romana nullis synodidis decretis praelata est, sed evangelica voce primatum obtinuit quam] in margin: vel quoniam nullis] corrected from nulli 18 agonizans] corrected from agozonizans 23 Testis] in margin: de IIII principalibus sedibus 24 facio semper] added 36 episcopus] corrected from episcopis 43 domini] added

los inspiratione evangelium conscripsit atque requievit. Et ob hoc episcopus
Ephesius pro tanti apostoli et evangelistae memoria ceteris episcopis metropoli- 45
tanis in synodis honorabiliorem obtinet sedem.

5 *Sed quoniam de concilio Niceno disserendum est, quae hoc fecit causa, ut post
illam apostolorum gloriosissimam praedicationem, quae in omnem terram mira-
biliter diffusa est, sub Constantino Augusto tanti congregarentur episcopi? Rufini
nobis decimus liber, qui coniunctus est novem libris ecclesiasticae historiae, quos
vir eruditissimus Eusebius Caesariensis edidit, necessarie profertur ad medium,
ut parva eius, quae inter initia de Arrii perversitate conscripta sunt, memorentur,
quia dubium non est, ideo trecentos decem et octo sanctissimos patres ex uni-
verso orientali orbe in Niceam Bithiniae congregatos, ut Arrii impium dogma
Christi auxilio funditus damnaretur et salubri providentia constituerent, quid in
sancta catholica ecclesia debeat observari.* 55

6 *Item ad locum ex libro decimo Rufini: Igitur cum apud Alexandriam post
Achillam, qui Petro martyrio successit, Alexander sacerdotium suscepisset, quia
77r pax nostris et quies a persecutionibus erat, atque ecclesiarum gloria confessorum
meritis gaudebat, prosperitas rerum nostrarum domestica contentione turbatur.
Etenim presbyter quidam apud Alexandriam, Arrius nomine, vir specie et forma
magis quam virtute religiosus, sed gloriae laudisque et novitatis improbe praecu-
pidus, prava quaedam de fide Christi proferre et, quae ante in inquaestionem
numquam venerant, coepit abscidere ac separare ab illa aeterna et ineffabili dei
patris substantia vel natura filium conabatur. Quae res in ecclesia plurimos con-
turbabat. Sed cum Alexander episcopus, natura lenis et quietus, assidue commo-
nitionibus Arrium cuperet a pravo incoepo et assertionibus impiis revocare,
nec tamen res ex sententia procederet, et quod plerosque, quosdam iam contagio
pestiferae assertionis infecerat, non solum apud Alexandriam, verum et per alias
urbes provinciasque disperserat perniciosum fore credens, si dissimularet a tali-
bus, plurimis consacerdotibus suis rem indicat. Quaestio latius innotescit. Sermo
usque ad aures religiosi principis, quippe qui omni studio et diligentia curaret,
quae nostra sunt, pervenit. Tum ille ex sententia sacerdotum apud urbem Niceam
episcopale concilium convocat, ibique Arrium trecentis decem et octo episcopis
residentibus adesse iubet ac de eius propositionibus et quaestionibus iudicare.* 60
65
70
75

7 *Sed in eo concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim
cum ex omnibus pene locis episcopi convenissent et, ut fieri solet, diversis ex
causis inter se quaedam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter a singulis,
offerebantur libelli, culpa proferebantur, et magis ad haec quam ad id, pro quo
ventum fuerat, animos dabant. At ille, videns quod per huiusmodi iurgia causa
summi negotii frustraretur, diem certum statuit, quo unusquisque episcoporum, si
quid querimoniae habere videretur, deferret. Cum resedisset, suscepit a singulis
libellos. Quos simul omnes in sinu suo continens nec in eis, quid contineretur,
aperiens, ait ad episcopos: Deus vos constituit sacerdotes et potestatem vobis
dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem* 80
85

44 evangelium] added 47 Sed ... Niceno] in margin: quae causa fecit, ut episcopi congregarentur in
Niceno concilio de] added 58 Petro] corrected from Petri successit] suscepisset; correction
following alternative suggested in margin: vel successit 63 in inquaestionem] corrected from
inquisitionem 65 Quae] corrected from qui 67 pravo] corrected from parvo incoepo] corrected
from coeptu 68 quosdam] corrected from quodam 80–81 pro ... ventum] corrected from ventum pro
quo

90 non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod dei solius inter vos exspectate
iudicium, et vestra iurgia, quaecumque sunt, ad illud divinum reserventur ex-
amen. Vos etenim nobis a deo dati estis dii. Conveniens non est, ut homo iudicet
deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in me-
dio autem deos discernit. Et ideo his omissis illa, quae ad fidem dei pertinent,
absque ulla animorum contentione discingite. Cum haec dixisset, omnes querimo-
95 niarum libellos iussit exuri, ne innotesceret ulli hominum insimulatio sacerdotum.
Verum cum per dies multos in episcoporum concilio de fide quaestio verteretur et
nonnulli diversa sentirent ac vehementer acceptis Arrii paverent, plures tamen
erant, qui impium execrarentur inceptum. Cumque in eodem concilio esset con-
fessorum magnus numerus sacerdotum, omnes Arrii novitatibus adversabantur.
Favebant vero ei viri in quaestionibus callidi, et ob id simplicitate fidei adversi.

100 Quantum vero habeat virtutem fidei simplicitas, etiam ex his, quae ibi gesta
sunt, agnoscimus. Etenim cum pro studio religiosi imperatoris ex omni terra sa-
cerdotes dei coissent, opinione commoti philosophi quoque et dialectici valde
nobiles et opinatissimi convenerunt. In quibus quidam insignis in arte dialectica
105 per dies singulos conflictum summi certaminis cum episcopis nostris viris aequae
in dialectica non improbabiler eruditus movebat. Et fiebat ingens spectaculum
convenientibus ad audiendum doctis et litteratis viris. Nec tamen nullo genere
philosophus concludi a quoquam poterat aut constringi. Tanta etenim dicendi
arte obiectis quaestionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur adstrictus, velut
anguis lubricus elaberetur. Sed ut ostenderet deus, quia non in sermone regnum
110 dei, sed in virtute consistit, quidam ex confessoribus, simplicissimae naturae vir
et nihil aliud sciens nisi Christum Iesum et hunc crucifixum, inter ceteros audito-
res episcopus aderat. Qui cum vidisset philosophum insultantem nostris et callida
se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum velle se paucis cum
philosopho sermocinari. Tunc vero nostri, qui simplicitatem viri et imperitiam in
115 sermone dumtaxat nossent, pavere et velut pudorem quendam pati, ne forte apud
callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Persistit tamen senior et
hinc movit sermonis exordium. In nomine, inquit, Iesu Christi, philosophe, audi,
quae vera sunt. Deus unus est, qui fecit caelum et terram quique homini, quem de
terrae limo formaverat, spiritum dedit, universa, quae videntur et quae non vi-
120 dentur, virtute verbi sui creavit et spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc ver-
bum ac sapientia, quam nos filium dicimus, humanos miseratus errores ex virgine
nascitur, et per passionem mortis a perpetua nos morte liberavit ac resurrectione
sua aeternam nobis contulit vitam, quem exspectamus iudicem omnium, quae
gerimus, esse venturum. Credis haec ita esse, philosophe? At ille, ac si numquam
125 ullum sermonem contra dicendi dixisset, ita obstupefactus virtute dictorum, mu-
tus ad omnia hoc solum potuit respondere ita sibi videri nec aliud verum esse,
quam dixerat. Tunc senior: Si haec, inquit, ita esse credidisti, surge et sequere
me ac dominicum et huius fidei signaculum suscipe. Et ita philosophus christia-
nus effectus tandem se gratulatus est victum.

130 In illo etiam concilio fuit Pamnuptius homo dei episcopus Aegypti, in quo tanta
virtute inerat gratia, ut signa per eum non minus quam dudum per apostolos fie-
rent. Quo etiam in tempore et Spyridon Cyprius episcopus insignis habebatur.

91 deos] corrected from deo 92 discingite] in margin: vel discutite 93 hominum] corrected from
omnium insimulatio] corrected from simulatio 112 disputationis] corrected from
disputationes 123 gerimus] corrected from rimus 124 ullum] corrected from nullum 126 Si]
added 130 non] added

Tales igitur in illis adhuc temporibus multi viri in ecclesiis domini refulgebant, ex quibus plurimi in illo concilio fuerunt. Interea per dies singulos agitabatur conventus, nec facile aut temere tanta statuere audebant, et vocabatur Arrius frequenter in concilium et assiduo tractatu assertiones eius discutiebantur et, quod adversum haec tenere deberent ac statui, summa cum deliberatione quaerebatur. 135

10

Verum post diutinum multumque tractatum placuit omnibus ac velut uno cunctorum ore et corde decernitur omoysyon conscribi debere, id est eiusdem cum patre substantiae filium confiteri, idque firmissima omnium sententia pronuntiat. Decem et septem soli tunc fuisse dicuntur, quibus Arrii magis fides placeret, extrinsecus creatum dei filium ex nullis substantibus, et non ex ipsa patris deitate progenitum confirmantes. Defertur ad Constantinum sacerdotalis concilii sententia. Ille tamquam a deo prolatam veneratur. Cui, si quis temptasset obniti, velut contra divina statuta venientem in exilium se protestatur acturum. 140 145

EXPLICIT PRAEFATIO